

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Christophori Cellarii Compendium Antiquitatum
Romanorum**

Cellarius, Christoph

Halae Magdeburgicae, 1774

VD18 10161015

Lib. III. De Militia Romana.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17085

manorum ab imperatore, & consanguineis imperatorum tribuebatur, & his quidem ex singulari imperatoris indulgentia. ZOSIMVS lib. II. cap. 39. num. 4. Ceteri, qui rempublicam regebant, dicti *clarissimi, illustres, spectabiles, egregii, perfectissimi*. Sed tamen & hæc nomina cum discrimine dignitatum & priuilegiorum adhibebantur: vid. *notit. imper.* p. 1342. seq.

LIB. III. DE MILITIA ROMANA.

SECT. I. DE ORDINIBVS MILITVM.

CAP. I. DE MILITIBVS ROMANORVM.

§. I.

ARMIS partum fuit imperium romanum: ar-
mis

cap. X. LXVI. LXVII. & LXXXIX. agit. Horum ministrorum officia, dignitates ac vicissitudines fusius persequuntur iam laudati scriptores: GVID. PANCE-ROLLVS comm. ad notit. dignit. imperii vtriusque, tom. VII. thes. ant. Rom. Græuii p. 1323. IAC. GVTHE- RIVS de offic. dom. August. CLAVD. SALMASIVS not. ad scriptor. hist. August. & IVL. CÆS. BULENGERVS de imperio Romano. His adiungendi sunt: IAC. GO- THOFREDI commentarii ad codicem Theodosianum: THOM. REINESIVS not. ad inscript. vet. GEORG. CODINVS de officiis & officialibus curiæ & ecclesiæ Con- stantinopol. cum animaduersionibus FRANC. IVNII, IAC. GRETSERI, & IAC. GOARI: CAROL. DV FRESNE in glossario vtroque mediæ & infimæ Latinitatis & Græcitatæ, aliique.

mis etiam conseruatum; nec vero his solis, sed mores etiam, & leges, & æquitas administrationis, & litterarum studia, in deuictis gentibus excitata, multum ad conseruationem adtulerunt. z)

§. II.

Auctor militiae Romanæ a) fuit Romulus; sed rudioris & inconditæ: in ordinem digessit Tullus Ho-

z) De causis, quibus imperium Romanum ad tantum fastigium peruenit, egregie commentatus est auctor anonymus libri, qui sub inscriptione: *Betrachtungen über die Ursachen der Größe und des Verfalls der Römer*, ex Gallica lingua in Germanicam translatus, Berolini MDCCXLII. prodit.

a) Ad rem militarem veterum Romanorum cognoscendam faciunt: IOS. LAURENTII *collectanea libro VI. polymath. p. 469.* secundum litterarum ordinem disposita: *interpretes Polybii & Vegetii*, inter quos imprimis, præter LIPSIVM, STEWECHIVS est; IUSTVS LIPSIVS, cuius *libri V. de militia Romana cum analectis ad milit. Rom. tom. III. operum p. 13. seq. exstant*: FRANC. PATRICIVS *in re militar. Rom.* quem librum ex Italico sermone in latinum LVDOLPH. NEOCORVS vertit; IO. GEORG. GRÆVIUS autem in *tomum X. thes. ant. Rom. p. 821.* transtulit, in quo & reperiuntur: RATBODI HERM. SCHELII *dissertationes de sacramentis: de custodia castrorum: de stipendio militari & equestri: de victu militum: de agmine Polybiano: de cohortibus legionis antiquæ*, aliæque commentationes, ad hoc argumentum spectantes. Præter hos memorandi sunt: CLAVD. SALMASIVS *opere postumo de re militari Romanorum*: VINCENTIVS CONTARENVS *de militari Romanorum stipendio*: HENR. SAVILIUS *de militia Romana*, aliique multi, qui recensentur a GABR. NAVDÆO *in syntagmate de studio militari*, Romæ MDCXXXVII. edito, vbi p. 504. pro-

Hostilius : ornatum & præmia addidit Tarquinius Priscus, vid. FLORVS & EVTROPIVS. In libera republica consulum ea cura erat, & in in periculis, dictatoris & magistri equitum. Postea consulibus etiam adiuncti prætores fuerunt, quorum munus proprie erat, non tantum ius dicere in vrbe, sed foris etiam bella gerere. Vnde prætor græce vertitur *σπαρτηγός*, & *prætoria cohors*, *prætoria nauis*, ac sub cæsaribus prætoriani hinc originem adpellationis habent.

§. III.

Scribebantur autem milites per delectum, quem in vrbe agebat consul : b) in Latio & Italia legatus,

lixa notitia scriptorum huius argumenti exhibetur, quam separatim GEORG. SCHVVBARTVS sub inscriptione : *bibliographia militaris*, Ienæ MDCLXXXIII. litteris describendam curauit.

b) Tribuni militum quidem ad id potissimum electi erant; consules vero supremam delectus habebant curam, quibus tribuni hæc in re ministrare eorumque iussa exsequi debuerunt. Sedebant consules in sellis curulibus, delectusque per ordinem in capitolio fiebat; nisi ille ob grauiores causas, exempli causa : ad euitandas tribunicias intercessionem, in proximo campo institueretur, ubi tribunitiæ potestati nullus dari solebat locus. Probat hæc IVST. LIPSIUS *de milit. Rom. lib. I. dial. 3.* Nemo militiam recusare debebat, nisi quinquagesimum annum attigerat, vel honoribus & magistratu præditus, morbo adfectus, aut vitio corporis scædatus erat. *Refractarii*, quod nomen militiam recusantes habebant, pœnis coercebantur: conf. LIVIVS *lib. VII. cap. 4.* De delectu militum eiusque ratione IVST. LIPSIUM loco memorato: IAC. LYDIUM *agonistic. lib.*

Cellar. Antiquit.

Q

I

tus, aut senator. Discrimen autem erat inter milites Romani exercitus, ut quidam essent *Romani ciues*, alii *socii*, id est, *Itali*, & medii quasi inter hos, qui dicebantur *Latini nominis*. bb) Passim hoc discrimen obseruatum legitur apud LIVIUM & SALLVSTIVM. Sublatum autem est post bellum sociale, siue Marsicum, quo Italis æquale ius, quod ciues Romani habebant, adquisitum fuit.

§. IV.

I. cap. 2. & BARNAB. BRISSONIVM *ad formul. lib. IV. p. 340. adeas.*

bb) De militibus Romanorum obseruandum est, disciplinæ militaris inter eos summam habitam fuisse rationem, ac furta, intemperantiam, contumaciam, adulteria, signorum desertionem, aliaque crimina, contra quæ singulares latæ erant leges, maxime punita esse. De diætâ, victu militari, cœnis victorialibus, triumphalibus, donatiuis, cet. exponit GVIL. STVCKIVS *lib. I. antiquit. conuiual. cap. 21.* De priuilegiis veteranorum militum singulari libro commentatus est GEORG. ACAC. ENENKELIVS BARO HOHENECIVS. De stipendio militari, quod Romanis militibus per CCCL. fere annos incognitum fuit, conferendi sunt: RATBODVS HERM. SCHELIVS *dissertationibus de die stipendii: de stipendio ductorum equestri & militari, tom. XI. thes. antiquit. Rom. Grauii p. 1214. seq. & præ ceteris cel. FRID. OTTO MENCKENIVS eleganti diff. de Romanorum veterum stipendiis militaribus.* De pœnis militum variisque earum generibus IVST. LIPSIVS *lib. V. de milit. Rom. cap. 18.* FRANC. ROBORTELVUS *diff. de pœnis militum & ignominiiis tom. X. thes. ant. Rom. Grauii p. 1482.* GER. SICHTERMANNVS *diff. de pœnis militar. Roman. & H. F. SALOMON de iudiciis & pœnis Rom. tom. III. thes. ant. Rom. Sallengriani p. 645. legantur.* De præmiis infra plura edisseram.

§. IV.

Ingenuos c) autem omnes milites esse oportebat & honestæ conditionis. Vnde in codice Theodosiano titulus est : *quid probare debeant ad militiam venientes*. Serui autem, si irreperant, supplicio sunt adfecti, cuius rei exemplum habemus in *PLINIO lib. X. epist. 38.* vbi adde *notas nostras*. In summa tamen necessitate serui poterant milites legi ; sed prius erant manumittendi & in libertatem vindicandi, quemadmodum post Cannensem cladem octo millia seruorum sunt armati ; sed adepti prius libertatem : vid. *LIVIVM lib. XXII. cap. 57.* quod breuibus sic enarrat *EVTROPIVS*

Q 2 *lib.*

c) Romani hac in re adeo seueri erant, vt ne ingenuos quidem omnes admitterent, siquidem historia Romana testatur, omnes histriones, præter Atellanos, antiquis temporibus nunquam, nisi ex summa necessitate, lectos esse. *LIVIVS lib. VII. cap. 2.* hoc confirmat, quando ita scribit : *eo institutum manet, vt actores Atellanarum nec tribu moueantur, & stipendia faciant, tanquam expertes artis ludicræ* ; *SALLVSTIVS* vero de bello ciuili p. 135. refert, *Marium milites non more maiorum, neque ex classibus, sed vti cuiusque libido erat, capite censos plerosque scripsisse*. Sic etiam litigiosi, criminosi, adulteri, alique publico iudicio damnati, a militia arcebantur. Mutatum tamen hoc fuit tempore reipublicæ labentis, quo non solum libertini, sed etiam serui & pastores legebantur, vt *CÆSAR de bello ciuil. lib. I. cap. 14.* testatur. Prisca ætate ratio etiam habita fuit *statura*, quæ per ordinem infra pedes quinque & septem uncias esse non debuit. Nonnulli contendunt, militibus haud permissum fuisse, vt vxores ducerent, easque in castris haberent ; vtrumque vero falsum est, quod fuse ostendit *SAM. PITISCVS lex. ant. Rom. tom. II. p. 568. seq.*

lib. III. cap. 5 : serui, quod numquam ante, manumissi & milites facti sunt.

CAP. II.

DE SACRAMENTO MILITARI.

§. I.

In militiam adscisciebantur non temere, sed iure iurando obstricti, quo fidem & constantiam tirones promittebant. d) LIVIVS *lib. XXII. cap. 38.* dicit, *iurasse, iussu consulum conuenturos, neque iniussu abituros.* VEGETIVS *lib. II. cap. 5 :* *iurant, inquit, milites, omnia se strenue facturos, quæ præceperit imperator : numquam deserturos militiam ; nec mortem recusaturos pro Romana republica.* Idem *excitato loco* etiam formulam, sub christianis imperatoribus consuetam, recitat, *iurasse per Deum & per Christum & per Spiritum sanctum, & per maiestatem imperatoris, quæ secundum Deum generi humano diligenda sit & colenda.*

§. II.

Olim consulibus iurabant: *mutata republica cæsaribus, idque vocabant in verba eius iurare, & in interregno senatui populoque Romano, ut ex*

TA-

d) De sacramento militari vberius commentati sunt: GODESCHALC. STEWECHIVS *not. ad Vegetium lib. II. cap. 97.* RATBOD. HERM. SCHELIVS *diff. de sacramentis tom. X. thes. ant. Rom. Græuii p. 1166.* IAC. OISELIVS *not. ad Gellium lib. XVI. cap. 4. 10.* ANT. VALTRINVS *de re milit. Rom. lib. II. cap. 7.* IVST. LIPSIVS *de milit. Rom. lib. I. dial. 6. lib. V. dial. 15. & not. ad Tacit. p. 88. & 10.* BAFF. HANSENIVS *lib. de iureiurando vet. cap. XXII.*

TACITO *hist. lib. I. cap. 56.* adparet. Idem erat, *in verba adigere vel adigi*, apud TACITVM *hist. lib. IV. cap. 21.* Repetitum quotannis id iusiurandum fuit a militibus natali principis, non vitæ, sed imperii; de quo PLINIVS *lib. X. cap. 60. 103. & 104.* consulatur.

§. III.

Id iusiurandum *sacramentum* dicebatur, vt apud TACITVM sæpe est sub formulis: *sacramentum dicere alicui: sacramentum accipere ab aliquo: sacramento adigere legiones: in eodem sacramento esse, & eiusdem sacramenti milites:* vid. eundem *lib. I. annal. cap. 28. 37. lib. I. hist. cap. 5. lib. II. cap. 81. lib. I. cap. 31. 46. cet.*

§. IV.

Hinc Christiani ad sua mysteria hoc vocabulum e) transfulerunt, vt ex verbis TERTVLLIANI, antiquissimi scriptoris, clarum est, exempli gratia *ad martyr. cap. III. Vocati sumus*, inquit, *ad militiam iam, dum in sacramenti verba respondimus*, hoc est, in baptismo; & *aduersus Valent. cap. XXVII: in baptismatis sacramento; & de corona cap. III: eucharistiæ sacramentum, omnibus mandatum a Domino, antelucanis cætibz sumimus.* f)

Q 3

CAP.

e) Vocem *sacramenti* in hac significatione iam PLINIVM *lib. X. ep. 97.* iuniorem vsurpasse, quum ad Traianum litteras de Christianis eorumque sacris ritibus scriberet, contra REMIGIVM CEILLERIVM monstraui *commentat. de antiquorum christ. doctor. de iureiurand. sententiis, cap. III. §. 5. p. 27.*

f) Tertullianum LACTANTIUS, HIERONYMVS alique

DE LEGIONIBVS.

§. I.

EXERCITVS Romanus g) diuidebatur in legiones, cohortes, alas, auxilia, & quæ horum par-

que plures sequuti sunt. Lege de huius vocis apud christianos scriptores vsu : MARTINVM CHEMNITIVM *exam. concil. Trident. part. II. loc. 10. art. 2. p. 276.* IO. GERHARDVM *loc. theol. tom. IV. p. 212. IS. CASAVBONVM exercit. XVI. ad annales Baron. p. 477. & venerandum patrem introduct. in libros symbol. p. 463.*

g) In exercitu tam milites, quam duces considerari debent : milites erant vel ciues, vel focii : illi legionem, hi alam conficiebant. Legio peditibus & equitibus constabat. Peditum ordines quatuor fuerunt. Eorum primus pauperiores & iuniores, *velites* dictos, complectebatur ; in secundo *hastati*, in tertio *principes*, in quarto denique *triarii* siue *pilani* erant. *Principes* ætate florentissimi ; *triarii* vero vsu exercitatissimi erant. Velitum exstiterunt MCC. qui æqualiter per genera & manipulos diuidebantur, in quorum singulis quadraginta numerati sunt. *Hastati*, quorum totidem erant, in decem manipulos ; hi vero itidem in duas centurias distribuebantur, quarum quælibet LX. milites comprehendebat. Principum numerus & diuisio eodem modo sese habebat ; triariorum vero dimidia tantum pars, nimirum sexcenti fuerunt. Ordines enim & manipuli dimidiati erant. Ex tribus manipulis cuiusque generis, addito velitum manipulo, *cohors* componebatur, quæ hac ratione CCCXX. viris constabat ; ex decem vero cohortibus *legio* fiebat, inde in legione XXX. erant manipuli. Legiones hæ, vt iam dixi, alteram exercitus Romani partem, alteram vero focii con-

partes erant. Legio autem pars exercitus maxima, constans ex ciuibus Romanis, sociis Italis, ac latini nominis, siue, vt post bellum sociale fuit, ex ciuibus & Italicis. Prouinciales auxiliis adnumerabantur. Numerus non semper fixus legionis; sed primum tria millia continebat, vt VARRO dicit *lib. IV. de lat. lingu. gg)* Tum ve-

Q4 ro

conficiebant. Hi in duo cornua, siue alas, diuidebantur, quoniam ad vltimum locum exercitus collocari solebant, vt ciues tegerent. Hac enim ratione horum vires vnitæ, sociorum vero distributæ, ipsisque omnes occasiones, quid contra Romanos suscipiendi, abscissæ erant. Sociorum horum LX. equitum, MMMMCC. peditum vt plurimum fuerunt. Equites vel *extraordinarii*, vel *alares* erant. *Extraordinariorum* ducenti exstiterunt, ex quibus vna turma quadraginta *ablectorum* sumebatur, vt consulibus, quasi loco satellitum, esset. Ad *alares* quod spectat, eorum quadringenti erant, & in decem turmas diuidi solebant. Pedites sociorum itidem in *extraordinarios* & *alares* distincti sunt. *Extraordinariorum* octingenti & quadraginta; *alarium* vero tria millia, trecenti & sexaginta fuerunt; qui aut in manipulos & genera, aut in centurias & cohortes diuisi fuisse videntur. De legionibus veterum Romanorum pluribus edisseruerunt: RATBODVS HERM. SCHELIVS *diss. de cobortibus legionis antiquæ*: IO. HENR. BOECLERVS *de legione Romana*: FRANC. ROBORTELLVS *de legionibus Romanorum*, quæ scripta *tom. X. thes. ant. Rom. Græuii* exstant. His addendi sunt: WOLFG. LAZIVS *lib. V. de republ. Rom. cap. II. seq.* CLAVD. SALMASIVS *de re militar. Rom. cap. VI.* ONVPHR. FANVINIVS *de imper. Rom. cap. XVI.* & IVST. LIPSIVS *de milit. Rom. lib. II. dial. 5.*

gg) Confirmat hoc PLVTARCHVS, quando vit. *Romul.*

p. 24.

ro nondum *legio* dicebatur, cuius nominis origo apud *EVTROPIUM* est *lib. II. cap. 3.* quam historiam *LIVIVS lib. VII. cap. 25.* profequitur, dicitque, legiones tum *quaternum millium & ducentorum peditum, equitum trecentorum* scriptas esse. Quod vero *EVTROPIVS* *ibid.* sex millia cuiuslibet legioni dat, error est, quia vetusta tempora cum suis confundit. h)

§. II.

Bello Punico secundo additi mille pedites & centum equites. hh) *LIVIVS lib. XXII. cap. 36.*

p. 24. scribit: *singuli ordines peditum habebant terna millia, tricenos equites.*

h) De militia equestri veterum Romanorum opus singulare exaravit *HERMANNVS HVGO.* De delectu, recognitione equitum, de turmis cet. *IVST. LIPSIVS lib. II. de milit. Rom. cap. 6.* videndus est. Varia eorum genera, ut *lancearios, ferentarios, desultorios, draconarios* siue *signiferos*, non commemoro. De acie equestri dictus *HVGO* itidem consuli potest.

hh) Præter *EVTROPIUM*, idem *DIONYSIVS Halicarnassensis* & *PLVTARCHVS* innuere quidem videntur, ille, quando *lib. II. p. 103.* ita loquitur: *rursus Cænienses atque Antennates, quotquot voluerunt, ad habitandum Romam una cum familiis transtulit, nec agris multatos, nec pecuniis; eosque mox in tribus & curias adscripsit, non pauciores tribus millibus, ita ut tum primum peditum Romanorum censerentur in uniuersum sex millia; hic vero vit. Romul. p. 30.* scribit: *geminata vrbe, per Sabinos videlicet, centum ex Sabinis senatores adlecti, legiones constitutæ ex peditibus senis millibus, equitibus sexcentis; quando vero verba hæc accurate expendimus, memorati scriptores non de numero militum in vna legione, sed de numero in dua-*

numero, inquit, peditum equitumque legiones aucta millibus peditum, & centenis equitibus in singulas adiectis, ut quina millia peditum, treceni equites essent, socii duplicem numerum equitum darent, pedites aequarent. Ex quo adparet, imminutum antea numerum equitum fuisse & ad ducentos redactum, qui nunc centenis supplebatur, ut pristinus numerus seruaretur. Eodem bello extremo Scipio instituit, LIVIO teste *lib. XXIX. cap. 24.* ut singulae legiones sena millia & ducentos pedites, trecenos haberent equites. Nec vero hoc ita seruatum fuit; sed ad vetus institutum, hoc est, ad quina millia & ducentos pedites trecenosque equites legiones reuocatae, ut patet ex LIVIO *lib. XLII. cap. 31.* Marius rursus, ut FESTVS auctor est, sex millium & ducentorum hominum conscripsit legiones. i) Legionum diuisio adaequata fit secundum numeros, discriminis causa, ut prima, secunda, tertia, vigesima, trigesima, cet. etiam quaedam cum cognominibus, tam virtutum, ut *gemella, victrix, fulminea* cet. quam locorum, quibus praesidio erant, ut *melitene, germanicana* cet.

Q5

§. III.

duabus differunt, ita, ut in vnaquaque tria millia peditum & trecenti equitum fuerint.

- i) Id Marius sine senatus consulto fecerat, quod SALLVSTIVS bello *Iugurth.* p. 135. significat, quando tradit, *Marium cum aliquanto maiori numero, quam decretum fuisset, profectum esse.* Non tamen post illum numerus hic semper retentus fuit. Bellis enim ciuilibus adhuc legiones quinque millibus peditum constabant.

§. III.

Inadæquate diuiduntur in partes, cohortes, centurias, manipulos. A priori diuisione, quæ secundum numeros fiebat, milites denominantur *primarii*, *secundarii*, *vigesimani* apud TACITVM & alios. Nec vero vnus numeri vna tantum erat legio; sed inuenimus etiam plures tertias apud DIONEM, diuersas secundas, octavas, nonas apud TACITVM, in quibus discernendis vtique cognominibus opus erat. k) Altera diuisione partes legionis maiores erant cohortes, quæ singulæ constabant quingentis militibus, atque ita in pleniore legione sex millia hominum, vt sub cæsaribus erant, fuerunt cohortes duodecim.

§. IV.

Legio habebat XII. cohortes, X. turmas, XXX. manipulos, LX. centurias. Manipulus autem ex veteri diuisione habebat duas centurias. Sed hæc notio exoleuit, & sub Antoninis noua significatio huic nomini accessit, vt idem esset, quod contubernium & tantum complecteretur X. milites. Vnde intelligis, quinam proprie fuerint *contubernales*. ISIDORVS *lib. II. cap. 4.* hæc tradidit: *legio habet LX. centurias, manipulos XXX, cohortes XII, turmas X.* Turmæ autem equitum erant, quod etiam

k) Consuetudo, legiones ita numerandi, vsque ad Alexandri Seueri tempora, quibus DIO CASSIVS vixit, obtinuit. Is enim *lib. LV.* de hac re ita scribit: *sic enim secundum ordinem delectum Romanæ legiones nominantur, hodieque eadem ratione cognomenta sua sortiuntur.*

etiam VARRO testatur, qui *turma* vocabulum dicit quasi *terma* esse, quod ter deni equites constituebant *turmam*.

CAP. IV.

DE DIVISIONE LEGIONIS RESPECTU ARMORVM ET ÆTATVM.

§. I.

DIVERSI generis tela Romanis erant, quæ LIVIVS laudat *lib. XXXVIII. cap. 21.* tamquam insigne victoriæ adiuventum.

§. II.

Erant etiam velites, hastati, principes, pilani, triarii. Velites, 1) qui & *antesignani* dicebantur, leui

1) Velites quando primum instituti sint, tradunt LIVIVS *lib. XXVI. cap. 4.* & VALERIVS MAXIMVS *lib. II. cap. 3. §. 3.* Quoniam Cæsaris & sequentium imperatorum ætate ad leuiorem armaturam milites ex legionum *antesignanis* lecti sunt, suspicatur inde IVSTVS LIPSIUS *de milit. Rom. p. 115.* eorum ævo velites non amplius in vsu fuisse; sed horum locum ex *antesignanis* suppletum esse. Arma illorum fuerunt gladius, hasta & parma, vt ex POLYBIO *lib. VI. cap. 20.* constat. In acie vel ante omnia signa in fronte, vel inter primos manipulos, vel in viis & cornibus collocari solebant, quoniam ii ante omnes prodire & pugnam committere debuerunt: conf. LIVIVS *lib. XXX. cap. 33.* *lib. XXXVIII. cap. 21.* SALLVSTIVS *bell. Iugurth. p. 105.* & VEGETIVS *lib. I. cap. 20.* Pari modo in castris extremitatem eorum occuparunt, vt vallum & spatium, quod circum interiora castra erat, custodirent ac tuerentur.

leui armatura instructi erant, ideoque mobiliores, quibus plerumque primus impetus & aggressio committebatur, siue leuiores pugnae ante iustum praelinum. Hinc *velitarii* & *velitatio* plerumque metaphorice sumpta, apud PLAVTVM, FESTVM, APVLEIVM, & *velitaria arma* apud SALLVSTIVM *bell. Iugurth. cap. CV.* Horum imprimis hastae erant iaculatoriae, iisque *ferentarii funditores* adiungebantur. Funditores autem lapides funda emittebant: quidam etiam hasta simul iaculari utebantur.

§. III.

Hastati olim solum armati, vnde nomen haesit: *mediocre robur inter principes & velites.* Post mutatum, & pilum cum gladio datum, vt plerisque legionariis, vnde *pilani dicti*; sed praevalet nomen *hastatorum*, quamuis fuerit hasta adempta.

§. IV.

Principes erant milites praestantiores, qui olim pugnabant in principio aciei, vt VARRO *de lat. lingu. scripsit lib. VIII. cap. 8.* LIVIVS *lib. VIII. cap. 8: robustior aetas, quibus principum est nomen.* Postea minus illustres initiis praeliorum adhibebantur, vt seruarientur principes.

§. V.

Tirones erant noui conscripti, vnde CICERO *lib. VII. epist. 3.* Pompeii exercitum vocat *tironem & collectitium.* Vnde etiam *tirocinium* est primum noui militis tentamen & specimen.

§. VI.

§. VI.

Triarii, vt VARRO *lib. IV. de lat. lingu.* describit, dicti sic, quod in acie tertio ordine in subsidium reliquorum deponebantur, nec pugnant inibant, nisi necessitas & clades reliquorum postulasset. Hi *veterani* plerumque & *subsidiarii*, siue *subsidia* dicti, quia in genua sæpe subsidebant, ne conspicerentur ab hostibus. Hinc adagium de grauiori periculo post accepta damna: *res ad triarios rediit.*

SECT. II.

DE ORDINIBVS DVCVM.

C A P. I.

DE DVCIBVS. m)

§. I.

OLIM prætores dicebantur, qui exercitui præerant, vnde mansit, vt *cohors prætorica* appellaretur, quæ consulem, aut alium summum ducem, tamquam corporis custos tuebatur; item: *navis prætorica*, quæ ducem exercitus naualem vehabat.

§. II.

m) Vt ordines ducum ac dignitatis, quæ singuli præditi erant, gradus rite intelligantur, sequentem tabulam ex IVST. LIPSIO *de milit. Rom.* p. 112. describo:

TA-

§. II.

Post generatim dictus fuit dux, qui exercitum regebat, quando nondum meruisset nomen imperatoris. CICERO lib. VII. ep. 3. extra ducem paucosque præterea reliqui in ipso bello rapaces. Ducem intelligit Pompeium, nondum in illo bello

TABVLA ORDINIS IN DVCIBVS.

Duces sunt duplices.	proprii, ut sunt	centuriones in manipulis. Ordo & divisio eorum per genera, Velitibus exceptis, sunt	bastatorum decem paria. Duo primi, duo secundi, vsque ad decimum, & pro numero ordo est dignitatum. Honestior in eodem pari, ille, qui priori centuriæ præest, siue dextræ.
			principum, numero & ordine iisdem. triariorum, numero & ordine iisdem, nisi quod hic primopilus, caput & dux legionis. Is primus centurio dicitur, & aquila præest. Sunt ergo in vniuersum centuriones sexaginta & totidem succenturiones, siue optiones: quod ad equites ciuium, aut sociorum, per turmas singulas habent tres decuriones. Sunt ergo decuriones in ala triginta, & totidem optiones.
communes, ut sunt:	legati, consilii causa adiuncti & auxilii ad imperandum. Sunt fere bini apud Polybium, alias plures & mox pro numero legionum.	tribuni, in vnaquaque legione, sunt numero feni, & totidem præfecti in quaque ala sociali, siue cornu.	imperator summus, cui ius in omnes.

bello imperatorem dictum; licet antea saepe fuisset.

§. III.

In libera republica duces plerumque erant consules, aut proconsules: interdum praetores etiam, si diuidendi essent exercitus, aut in prouinciis bellum gerendum. In periculis summis erant dictator & magister equitum, de quibus supra dictum. n)

C A P. II.

DE IMPERATORIBVS.

§. I.

Dvx summus in exercitu post praecelaram victoriam *imperator* fuit salutatus. o) CICERO lib.

n) Sub imperatoribus posterioris aevi, ii, qui in prouinciis remotioribus praesidium munere fungebantur, *duces* adpellati sunt, quorum multi in *notitia imperii* tam orientis, quam occidentis memorantur.

o) DIONIS CASSII lib. XLIII. p. 235. de imperatoris nomine effatum dignum est, quod hic describatur: *imperatoris nomen non antiqua tantum pro consuetudine, qua id cum alii, tum ipse quoque saepius ex bello reportauerant; neque ea ratione, quod ei merum imperium absolutamque potestatem deferrent, caesari tribuerunt; sed eo modo, quo nunc iis, qui summum imperium obtinent, tum primo caesari primum imposuerunt, tanquam ipsi proprium; ac paucis interpositis: id vero nomen imperatoris a Iulio, quemadmodum etiam caesaris nomen, tanquam peculiare summi imperii cognomen, ad omnes deinceps imperatores dimanauit: non tamen sublata antiqua huius nominis ratione, sed utraque integra. Itaque iterum eis tribuitur, quum victoriam aliquam obtinuerunt.*

lib. X. ep. 20. ad Attic. magnum numerum hostium occidimus : castella munitissima cepimus : imperatores adpellati sumus. Et paullo post de Marco Bibulo : credo, voluit adpellatione hac inani nobis esse par.

§. II.

Accessit, ut solet, abusus per ambitionem ad hunc titulum. CICERO orat. Philipp. XIV. cap. 4 : cui viginti his annis supplicatio decreta est, ut non imperator adpellaretur, aut minimis rebus gestis, aut plerumque nullis.

§. III.

runt. Nam qui sunt imperatores, semel hac appellatione, sicut & aliis, adeoque prima utuntur. Qui vero bellis hac appellatione dignum aliquid gesserunt, ii primum quoque sibi nomen adsciscunt. Unde fit, ut quis eorum iterum, & tertium, & pluries, nimirum quoties id meritis sit, imperator nominetur. Idem & confirmat APPIANVS de bell. ciuil. lib. II. p. 455. his verbis : id honoris olim ducibus conferebatur a suis militibus, tanquam virtutis testimonium, quod illi post quodvis præclarum belli factus admittebant ; nostra autem ætate, ut audio, nemini contingit huiusmodi adpellatio, nisi cæsis hostium decem millibus.

Insigne imperatoris fuit paludamentum, siue chlamys coccinea : conf. IUVENALEM sat. VI. v. 399. Lictores eius etiam paludatos fuisse, contendit LIPSIUS de milit. Rom. lib. II. cap. 12. p. 106. hancque in rem ad hæc SILII Italici verba, quæ lib. IX. v. 419. leguntur, prouocat :

Isque ut Varronem procul inter prælia vidit,
Et iuxta sagulo circumuolitare rubenti
Lictozem, nosco pompam atque insignia nosco
Flaminius modo talis, ait ;

alii vero recte obseruant, imperatorem solum paludamento, reliquos vero sago vsos esse ; auctores autem veteres vtrasque voces haud raro confundere.

§. III.

Imperator autem semel dictus non per vitam habuit nomen; sed bellis atque præliis iteratis, *imperatoris* etiam nomen repetitum. Hinc in inscriptionibus & nummis: IMPERATOR ITERVM; IMPERATOR SEXIES; & de Augusto: IMPERATOR VICIES. Sic vltimis epistolis adiectis ad Ciceronianas *lib. X.* in titulo, seu præscriptione dicitur: *M. Lepidus imperator iterum.* Titulo autem utebantur vsque ad finem triumphi, aut in ingressum in urbem Romam.

CAP. III.

DE LEGATIS DVCVM, SEV PRÆSIDVM.

§. I.

LEGATI in exercitu romano non sunt ii, quos vulgo adpellamus, qui missi essent ad negotium aliquod agendum: sed qui summum ducem exercitus, aut præsidem prouinciæ, si cum imperio missus esset, adiuuarent in re militari, atque sic etiam in eo numero erant, quos hodie *generales* adpellamus; subiecti tamen summo duci, siue imperatori. p) Vnde CÆSAR *lib. II. de bello ciuili cap. 17.* dicit: *eos fiduciariam operam tenere.*

§. II.

p) Legatos ab ipsis ducibus adscitos esse, hoc LIVII *lib. IV. cap. 17.* testimonium confirmat: *legatos Quintium Capitolinum & M. Fabium Fibulanum sequi se dictator iussit;* hoc tamen non contra senatus voluntatem fieri potuisse, ex CICERONE *pro leg. Manil. cap. XIX.* discimus. Munus eorum satis honorificum fuit, id

Cellar. Antiquit.

R

quod

§. II.

Plerumque tot erant, quot legiones. Hinc Cæsar decem legatos in Gallia habuit, quia totidem legiones: vid. CICERONEM *lib. I. ep. 7. §. 26.* Cicero habuit quatuor in Cilicia, quia etiam cum imperio missus erat in prouinciam, ex qua bellum gerendum erat. Vid. eius *lib. XV. epist. 4. §. 17.* vbi singulos nominat.

§. III.

Sub cæsaribus duplicis generis erant legati: primo *legati consulares*; siue cæsaribus, qui & summi rectores prouinciarum iidem erant, quasi vicarii cæsaribus: deinde *legati prætorii*, quorum singuli singulis legionibus iam antea etiam in libera republica erant præfecti, de qua distinctione supra in magistratibus ex TACITO, PLINIO & SVETONIO actum fuit.

CAP. IV.

DE TRIBVNIS MILITVM. q)

§. I.

TRIBVNI militum erat eiusmodi officium militare,

quod non solum exempla illustrium virorum, qui legati exstiterunt, sed etiam ipsa muneris eorum ratio, comprobant. Imperatori enim semper ad latus esse & salubribus consiliis eum instruere debuerunt. Numerus tam pro legionum numero, quam pro rerum conditione diuersus erat. Pompeium in piratico bello quinque & viginti legatos secum habuisse, APPIANVS *Mithridat. p. 392.* testatur: conf. RAPH. FABRETVS *ad column. Traiani, p. 9.*

q) Tribunos militum Romulus instituit, vt VEGETIVS *lib.*

litare, cui fere responderet, quod nostrates dicunt *ein Oberster*. Sex erant in legione, ac bini

R 2

al-

lib. II. cap. 7. testatur: *tribunus*, inquit, *vocatur a tribu*, quia *præst militibus*, quos *ex tribu primus Romulus legit*. A Græcis *chiliarchæ* vocantur, quod non ita intelligendum, ac si tribuni millibus solum præfuerint, & singuli tribuni in legione, quæ sex millibus constabat, singulis millibus imperauerint; sed ea de causa ita adpellati sunt, quoniam in Græcorum Macedonumque exercitu *millenarii* supra centuriones erant, post quos in exercitu Romano tribuni veniebant. In vnaquaque legione sex erant tribuni, qui omnes simul toti legioni præfecti fuerunt; quod & perspicue HORATIVS *lib. I. serm. 6. v. 48.* docet:

Quod mihi pareret legio Romana tribuno;

vbi totam legionem sibi vindicabat, quia bini & bini huic per vices imperabant. Tribuni hi post exactos reges a consulibus creati sunt, donec anno vrbis CCCXCIII. etiam populus sibi ius hoc tribueret, teste LIVIO *lib. IX. cap. 30.* quando ita scribit: *Et duo imperia anno dari cœpta per populum, vtraque pertinentia ad rem militarem: vnum vt tribuni militum seni deni in quatuor legiones a populo crearentur, quæ antea perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum & consulum ferme fuerant beneficia.* Bello Persei Macedonico, quum minus idonei tribuni a populo crearentur, ius, tribunos creandi iterum ad consules translatum est, vt idem scriptor refert *lib. XLII. cap. 31.* quod vero privilegium isti non diu tueri potuerunt. Nam illo ipso bello populum de nouo sibi hanc potestatem vindicasse, apud memoratum LIVIUM *lib. XLIII. cap. 12.* habemus, donec senatus decerneret, *vt in octo legiones parem numerum tribunorum consules & populus crearent*, vt itidem LIVIUS *lib. XLIV. cap. 21.* loquitur. Tam equites, quam plebeios tribunos militum creabant, & quoniam saepe
sena-

alternis vicibus præerant & legionem regebant, quod ex VEGETIO & aliis rei militaris scriptoribus constat. Olim videtur dignitas annua, aut aliquot annorum fuisse: post propter multitudinem ambientium semestri munus factum, ut videmus ex PLINIO lib. IV. ep. 4: hunc, inquit, rogo semestri tribunatu splendidiorum facias. r)

§. II.

senatores legebantur; hi vero tunicam laticlaviam gerebant, ortum inde est discrimen inter tribunos *laticlavios* & *angusticlavios*: conf. STATIUS lib. V. silu. I. v. 97. & SVETONIUS vit. Othob. cap. X. §. 2. ex recentioribus IVST. LIPSIVS de milit. Rom. lib. II. dial. 9.

- r) Hoc itidem IVVENALIS confirmat, quando sat. VII. v. 88. cauit:

Ille & militiae multis largitur honorem

Semestri vatum digitos circumligat auro.

Memorantur etiam in antiquis ingeniorum monumentis *tribuni cohortium*, qui tribunis militum inferiores fuisse & post socios, in legionem receptos, creati esse videntur. Per *tribunos castrorum* apud veteres scriptores ii sine dubio intelliguntur, qui alias *præfecti castrorum* dicuntur. *Tribunatus* enim vox sæpe late pro quavis administratione & præfectura sumitur. Munus tribunorum fuit, ut MACER leg. XII. de re milit. refert, *militis in castris continere: ad exercitationem producere: claves portarum suscipere: vigiliis interdum circumire: frumentationibus commilitonum interesse: frumentum probare: emanforum fraudem coercere: delicta secundum suæ auctoritatis modum castigare: principiis frequenter interesse: querelas commilitonum audire: valetudinarios inspicere*; cum quo & LIVIUS, POLYBIUS alique conveniunt. Sæpe ipsos tribunos supplicium de militibus sumisse, ex TACITO lib. XV. anal. cap. 60. & 68. & ex SENE-

CA

§. II.

De tribunis militaribus consulari potestate EV-
TROPIVS inspici potest *lib. II. cap. I.* qui per mul-
tos annos rexerunt rempublicam, quia indignaba-
tur exercitus, otiosis parere, & æquius putabant,
vt qui cum vitæ periculo pro patria pugnarent,
summos etiam honores gererent in republica ciui-
li. Sed postea displicuit hic magistratus, & con-
sules reuocati, quia militaribus ingeniis difficilius
est, rempublicam gerere, quam hostem superare.

CAP. V.

DE CENTVRIONE. s)

§. I.

CENTVRIONES quot militibus præfuerint,
ipsum vocabulum ostendit. Respondet di-

R 3

gni-

CA *epist. IV.* probari potest; id vero extra ordinem
factum est, nec prius, quam honorati & summa
dignitate conspicui viri mortis supplicium subire de-
bebant. Ornamenta, quibus se a reliquis distinxe-
runt, annulus aureus, vestis fortasse paullo splendi-
dior, atque adparitores erant. In castris sub ipsum
prætorium ita dispositi fuerunt, vt eorum tentoria in
duas partes diuiderentur: via media, quæ ad prætori-
um ducebat, inter ista tentoria relinqueretur; quis-
que vero ordo suam legionem in conspectu haberet.

s) Munus hoc virtute parabatur, & loco præmii antiquis
temporibus iis dabatur, qui fortiter sese gesserant;
nonnunquam tamen census habita fuit ratio, quod ex
DIONE *lib. LII. p. 481.* discimus: immo posteriori
æuo gratia & fauor in distribuendis muneribus præ-
valebat, de quo vitio sua ætate queritur VEGETIVS
lib.

gnitati, quam dicimus *Capitain*, *Hauptmann*. In legione erant sexaginta centuriones, t) in cohorte sex; qui autem primus inter eos erat, primam cohortem ducens, *primipilus* dicebatur, & *primipili centurio*, & *primus centurio*, isque dignitate æquatus fuit tribunis. Dicebatur etiam primum pilum, vel primos pilos ducere.

§. II.

Insigne u) ipsius erat vitis, vel virga vitea.

CICE-

lib. I. cap. 3. In singulis manipulis duo erant centuriones, teste *POLYBIO lib. VI. cap. 22.* ea ex causa, vt alter alteri opem ferret, si vnus ex illis vel vulneratus, vel mortuus, vel a tribuno ablegatus fuerat.

t) Confirmant hoc *TACITVS lib. I. annal. cap. 32.* & *A. GELLIUS lib. XVI. cap. 4.* *VEGETIVS* vero, quinquaginta quinque centuriones eius tempore fuisse, refert. Pro temporum enim diuersitate, vt militum, ita & ducum numerus diuersus fuit.

u) Vt centuriones eo melius discernerentur, in cassidum cristis signum habuerunt; istud vero qualem habuerit formam, certe dici non potest. *IAC. SPONIUS miscell. erud. ant. p. 255.* autumat, habuisse illud hanc figuram: 7, quam in rem ad sequentem prouocat inscriptionem:

DIIS. MAN
QVARTIVS. IVNIVS. QVAR. F. PAL
HESPERINVS

7 COH. VI. VIGILVM.

Plura de centurionibus exhibent: *IVST. LIPSIVS de milit. Rom. lib. II. cap. 8.* & *CAROL. SIGONIVS de ant. iur. prouinc. lib. III. cap. 2.* *EZECH. SPANHEMIVS de vsu & præst. numism. tom. II. p. 229.* & *ARNOLD. HENR. WESTERHOFIVS not. ad Terent. eum. VI. 7. 6.* Centuriones ipsi sibi legebant duos
optio-

CICERO *lib. V. ad Attic. ep. 20* : Bibulus in eodem anno coepit laureolam in mustaceo quærere ; at ille cohortem primam totam perdidit centurionemque primi pili. VELLEIVS etiam *lib. II. cap. 78.* dixit : primi pili centurio. CÆSAR autem *bell. Gallic. lib. II. cap. 25* : primipilo multis vulneribus confecto.

§. III.

Minores, quam centurio, ductores, non facile memorantur in historia ; nisi, quod VEGETIVS *lib. II. cap. 3.* decani mentionem facit, qui caput erat contubernii.

C A P. VI.

DE DVCTORIBVS EQVITVM.

§. I.

EQVITVM ductores dicti *præfecti.* VELLEIVS *lib. II. cap. 104.* de seipso : *missus cum Tiberio præfectus equitum in Germaniam.*

§. II.

Equites autem erant vel *legionarii*, de quibus supra, vel *auxiliares*, qui proprie alas constituebant posteriori ævo, quod ex VEGETIO *lib. II. cap. I.* discimus. VELLEIVS *lib. II. cap. 117* :

R 4

fu-

optiones, qui etiam *succenturiones* dicebantur, atque duos *signiferos*, qui signorum militarium curam habebant. Ceteros, qui militaribus functi sunt officiis, manipularios videlicet, præfectos castrorum, quæstores ærarii bellici, præfectos dendrophorum & fabrorum, tubicines, euocatores, medicos, cornicularios, tesserrarios, circitores, aliosque, breuitatis causa prætereo.

funestæ ex Germania epistole, casti Vari trucidatarumque legionum trium, totidemque alarum & sex cohortium; ubi tam alæ, quam cohortes auxiliares erant, quales cohortes a CÆSARE lib. I. bell. civil. cap. 83. alarie cohortes vocantur. Ipsæ tamen distinctæ ab aliis erant. VELLEIVS lib. II. cap. 112. §. 5: fugatæ alæ, conuersæ cohortes sunt: apud signa quoque legionum trepidatum.

CAP. VII.

DE SOCIORVM MILITIA.

QVI tribuni in legionibus erant, hi præfecti inter socios: LIVIVS lib. IV. cap. 31: C. Scribonium præfectum socium cum equitibus extraordinariis sinistræ alæ mittit; ubi extraordinarios nota, & duplicem alam, quorum vtrumque etiam habes in LIVIO lib. XXXV. cap. 5.

SECT. III.

DE ARMIS.

CAP. I.

DE ARMIS ROMANORVM
GENERATIM.

§. I.

LIVIVS lib. XXXVIII. cap. 21. hæc nobis reliquit de prælio cum Gallogræcis: *missilibus ex interuallo loci prælium commissum est: primo par, Gallos loco adiuuante: Romanos varietate & copia telorum. Procedente certamine, nihil iam æqui erat.*

erat. Scuta longa, ceterum ad amplitudinem corporum parum lata, & ad ea ipsa plana, male tegebant Gallos. Nec iam tela habebant, præter gladios, quorum, quum manum hostis non consereret, nullus usus erat. Saxis, nec modicis, ut quæ non præparassent, sed quod cuique temere trepidanti ad manum venisset, ut insueti, nec arte, nec viribus adiuuantes ictum, utebantur. Sagittis, glande, iaculis incauti, ab omni parte configebantur; nec quid agerent, ira & pauore obcæcatis animis, cernebant, & erant deprehensi genere pugnae, in quod minime apti sunt. Nam quemadmodum cominus, ubi inuicem pati ac inferre vulnera licet, accendit ira animos eorum; ita ubi ex occulto, & procul leuibus telis, vulnerantur; nec quo ruant cæco impetu, habent; velut feræ transfixæ in suos temere incurrunt. Detegebat vulnera eorum, quod nudi pugnant, & sunt fusca & candida corpora, ut quæ nunquam nisi in pugna nudentur: ita & plus sanguinis e multa carne fundebatur, & fœdiores patebant plagæ, & candor corporum magis sanguine atro maculabatur. Sed non tam patentibus plagis mouentur: interdum insecta cute, ubi latior quam altior plaga est, etiam gloriosius se pugnare putant. Idem, quum aculeus sagittæ aut glandis abdita introrsus tenui vulnere in speciem vrit, & scrutantes, quæ vellant, telum non sequitur; tum in rabiem & pudorem tam parvæ perimentis pestis versi, prosternunt corpora humi, sic ut passim procumberent. Alii ruentes in hostem, undique configebantur, & quum cominus venerant, gladiis a velitibus trucidabantur.

§. II.

Hinc miles tripedalem parmam habet, & in dextra hastas, quibus nimirum utitur. Gladio Hispaniensi est cinctus, quod si pede collato pugnandum est, translatis in læuam hastis, stringit gladium. Hæc arma velitum, siue *velitaria*, ut SALLVSTIVS adpellat.

CAP. II.

DE PARMA, SCVTO ET GALEA.

§. I.

PARMA x) erat rotunda, & in omnes partes par a medio, ut VARRO definit *lib. IV. de lat. lingu. Tripedalis* per diametrum, ut LIVIVS dixit.

§. II.

Scutum autem quatuor pedes longum POLYBIO: sed omnino productius fuit, uti ex LIVIO *lib. XLV. cap. 33.* videmus, ubi dicit: *scuto præ se erecto,*

x) De parma, clypeo, scuto, pelta, aliisque eiusmodi corporum tegumentis, contra hostium vim adhibitis, dignus est, qui legatur: ALDVS MANVTIVS *diss. de parma, clypeo, scuto, pelta & ancili, quæ tom. I. thes. ant. Rom. Sallengriani* exstat, huicque addendi sunt: IVST. LIPSIVS *lib. III. de milit. Rom. cap. 1. & 2.* HENR. BODWELLVS *diss. postum. de parma equestri, Oxon. MDCCXIII.* THOM. GVTBERLETVS *lib. de salis cap. XII.* EZECH. SPANHEMIVS *not. ad Callimachum p. 167.* aliique multi a IO. ALB. FABRICIO *bibliogr. antiqu. cap. XVIII. p. 576.* memorati. De variis modis, quibus armorum exercitia veteres Romani instituerunt, VEGETIVS *lib. I. cap. 9. seq. & LIVIVS lib. XXIII. cap. 35. lib. XXVI. cap. 51.* videndi sunt.

erecto, stare galeatos; deinde, ubi fessi sint, innixos pilo; capite super marginem scuti posito, sopitos stare. Umbo in clypeo & parma erat ex metallo, quo tundeant. *CURTIVS lib. III. cap. 10. aciem umbonibus posse propelli.*

§. III.

Galea y) ex pelle & corio erat. Cassis e lamina, ut *ISIDORVS lib. XVIII. cap. 14.* distinguit. Distinxit etiam *TACITVS de German. cap. VI: vix uni alteriue Germanorum cassis, aut galea.*

CAP. III.

DE OCREA.

OCREÆ non tam arma erant, quam munimentum pedis, siue tibiæ, & olim tantum dex-

y) De galearum figura ac forma multa erudite obseruavit *IAC. SPONIVS miscell. erudit. antiquit. p. 254.* Galeis cristæ addebantur, id quod vetus Carum inuentum fuit, ut milites eo maiorem terrorem hostium animis infunderent. Ut *POLYBIVS* testatur, Romani tres prælongas pinnas adhibuerunt, quæ colorem purpureum, vel nigrum habebant; qui tamen viliorum proprius fuisse videtur. Ante pennarum usum, fetis equinis utebantur milites, ut *VIRGILIVS lib. IX. Aeneid. v. 808.* docet. Plura *LIPSIVS loco memorato lib. III. dial. 5.* & *CAROL. PASCHALIVS de coron. lib. X. cap. 19.* dabunt. Inter galearum ornamenta etiam *corniculum* fuit, ex ære vel ferro factum & in cornu formam effictum. Eiusmodi cornicula inter dona militaria, quæ militibus ob præstitam virtutem dabantur, locum habebant: conf. interpretes *SVETONII vit. Domitian. cap. XVII. p. 741. ed. Græuii.*

dextro pedi addebatur, z) præponendo inter pugnandum. Ex corio erat dextri pedis ocrea, lamina interdum subdita; a) nec vero includebat pedem, sed partem anteriorem tegebat, loris adstricta. Sinister pes etiam ocreatus fuit, ut postea fere semper; caruit tamen lamina: conf. VEGETIVS *lib. I. cap. 20.*

CAP.

z) Hinc & LIVIVS numero unitatis de hoc pedis munimento nonnunquam loquitur, & VEGETIVS scribit *lib. I. cap. 20: pedites scutati etiam ferreas ocreas in dextris cruribus cogebantur accipere.* Sinister pes ocrea quidem non indigebat, quippe quem scuti pars tegebat & dextro postpositus erat; sequenti tamen tempore & iste ocrea tegi solebat, quod DIONYSIVS *Halicarnassens lib. IV. p. 221.* confirmat.

a) Sæpe ex sola lamina, diuerso tamen modo, ocreæ compositæ erant. Nonnullæ enim ex vna lamina totæ constabant, ut pedi nec pugna, nec ictus nocere posset; aliæ vero ex diuersis & tenuibus laminæ partibus, ita inter se connexis, ut vacua spatia relinquerentur, hisque solum contra ictum milites tuti erant. Ne earum pondus & grauitas impedimentum adferret, ocreæ erant breuioræ. Superior enim & dextri cruris pars scuto munita fuit. Videantur ANTON. BYNÆVS *de calcæis lib. I. cap. 4. num. II.* & FRANC. PATRICIVS *de re milit. part. V. sect. 6.* Caliga itidem pedum integumentum fuit, quo Romani milites gregarii ac manipulares in bello & castris potissimum utebantur. Soleæ vel lignæ, vel coriæ & clauis minutis, qui vel ferrei, vel ænei, vel argentei & aurei erant, suffixæ fuerunt. Singularem operam de iis disputat IULIVS NIGRONIVS *libro de caliga, siue calceamento militari veterum*, cui CLAVD. SALMASIVS *not. ad script. hist. Aug. tom. II. p. 233.* & BARN. BRISSONIVS *antiqu. select. lib. II. cap. 5.* addendi sunt.

CAP. IV.

DE GLADIO.

GLADIVS Hispaniensis b) a LIVIO memoratus
lib. XXXI. cap. 34. & lib. XXXVIII. cap. 21.
 eratque oblongior. Legionarii autem militis gla-
 dius erat breuior, sed graui pondere; breuitas
 autem erat agilitatis caussa. SILIVS *Italic. lib.*
VIII. v. 376:

Pila volant: breuibusque habiles mucronibus enses,

CAP.

sunt. Militum caligatorum meminit hic lapis apud
 GRVTERVM p. CCLXXIX. *inscript. 3.*

HONORATI. ET. DE
 CVRIONES. ET. NV
 MERVS. MILITVM. CA
 LIGATORVM

Adde IUVENALEM *sat. X. v. 24.*

b) Loquitur de gladio Hispaniensi ita POLYBIVS *lib. VI.*
cap. 21: simul cum scuto est gladius, quem ad dextrum
latus gestat. Hispaniensem ipsi vocant. Est hic gladius
& ad punctum laedendum excellens & ad caesim ex vtra-
que parte ferendum vehemens. Quo loco POLYBIVS
testatur, Romanos in dextro latere gladium gessisse;
cui vero alii, vt IOSEPHVS & SIDONIUS APOLLI-
NARIS, item nunmi contradicunt, & ad sinistrum
femur genus hoc armorum transferunt. Vtrumque
constare potest, pro consuetudinis diuersitate. Nec
is, qui ad sinistrum latus gladium habebant, eductio
eius incommoda fuit, quum satis notum est, quod ab
humeris gladii perpenderint: conf. IVST. LIPSIUS
de milit. Rom. lib. III. dial. 3.

DE PILO.

§. I.

PILVM proprie pistillum est : deinde telum metaphorice dictum, quod hostes feriret, ut pilum. Pili hasta maiori parte, id est, media & superiori, quadrangula erat, quod ex LIVIO *lib. XXI. cap. 8.* liquet, ubi describit falaricam Saguntinam, id est, *missile telum, hastili oblongo & cetera tereti, præterquam ad extremum, unde ferrum exstabat id, sicut in pilo, quadratum.*

§. II.

Lignum erat tricubitum & tantum fere ferrum; sed hoc sesquicubito prominebat, cetera pars infixa, aut adnexa hastæ erat, ut in uniuersum longitudo pili fuerit quatuor cubitorum & semis; quod ex POLYBIO *lib. VI.* LIPSIVS probauit. Crassitiam habuit ferrum & hamatum erat, unde ingentia pila FLORO dicta *lib. II. cap. 7.* quibus ultra Græcorum morem vulnera patebant. Sed hæc de proprie dicto pilo, quod maius erat, distinctum a minori. Virumque vero legionarius ferebat. Vid. VEGETIVM *lib. II. cap. 15. c)*

CAP.

c) De pili forma accurate ex POLYBII, VEGETII & SILII *Italicis* descriptionibus disputat IVST. LIPSIVS *loco indicato, lib. III. dial. 4.* In nummo eius figura conspicitur apud IAC. GUTHERIVM *de vet. iur. pontif. lib. III. cap. 16.*

DE LORICA.

§. I.

Ad arma etiam lorica pertinebat, qua corpus tegebant. Nomen habet a loris, quia ex pellibus in lora concisis olim conficiebantur, ut VARRO auctor est *lib. IV. de lat. lingu.* Integræ etiam pelles loco eius adhibebantur. SILIVS *lib. VIII. v. 525. d)*

Pectora pellis obit, cæsi venatibus vrsti.

Deinde lamina fuit adhibita, nunc solida, nunc agilitatis causa hamata. e) SILIVS *lib. V. v. 140:*

Loricam induitur, tortos huic nexilis hamos

Ferro squama rudi, permixtoque asperat auro.

Interdum totum corpus ita tegebatur ferro, f) & hi

d) Confirmat hoc etiam VIRGILIUS, quando *lib. XI. Aeneid. v. 679.* canit:

Cui pellis latos humeros erepta iuueno

Pugnatori operit.

e) Ex annulis ferreis componebatur, quos eo nomine laudatus poeta *lib. III. Aeneid. v. 467. loricas hamis confertas* vocat.

f) Ferrum hoc, siue lamina, duas habebat partes, quarum altera pectus, altera dorsum tegebat. In latere utroque fibulæ erant, quæ partem anteriorem cum posteriori iungebant. Ex eo VALERIUS *lib. III. cap. I. §. 24.* intelligi potest, quando Scævæ duas loricas adsignat; conf. IVST. LIPSIVS *de milit. Rom. lib. III. dial. 6. p. 145.* Ferreæ hæ lorice duplicis erant generis. Nonnullæ solis annulis, inter se nexis, constabant: aliæ squameæ, in quibus super annulos minutæ laminæ partes, ad formam squamarum piscium, posi-

hi milites *clibanarii* dicti, de quibus notauimus ad
SEXTVM RVFVM.

§. II.

Hami vocabantur etiam *squamae*, & ipsa lorica
thorax: VIRGILIUS *lib. XI. Aeneid. v. 487*:

- - Rutulum thoraca indutus ahenis

- Horrebat squamis.

De hamis eundem lege *lib. V. Aeneid. v. 459*. Sed
& lintea, aut lanca erat lorica, leuitatis causa.
NEPOS in *Iphicrate cap. I*. Legatur & SVETONI-
VS in *Galba cap. 19*: thoracem induit linteam. CÆ-
SAR *lib. III. de bell. ciuil. cap. 44*: Milites aut ex
sub coactis, aut ex centonibus, aut ex coriis tunicas,
aut tegumenta fecerant, quibus tela vitarent.

CAP.

tae erant. Ad hoc loricarum genus adductus ab au-
ctore nostro SILII *Italici* locus referendus est, quo &
pertinet ISIODORVS, quando *lib. XVIII. cap. 13*.
scribit: *squama est lorica, ex laminis aereis, vel ferreis*
concatenata, in modum squamarum piscis, & TERTVL-
LIANVS de pallio cap. IV: pectus, squamarum signacu-
lis disculptum, textu pellucido tegendo nudauit. Eius-
modi laminae plumae; loricae vero ex eo plumatae dicun-
tur. Confirmat hoc STATIUS, qui *lib. XI. Theb.*
v. 541. ita canit:

- - alte ensem Germani in corpore pressit,
Qua male iam plumis imus tegit inguina thorax;

IUSTINVS vero *lib. XLI. cap. II.* de Parthis scribit:
munimentum ipsis equisque loricae plumatae sunt, ad
quem locum interpretes p. 583. ed. GRÆVII conferen-
di sunt. Loricis, ex linteis compositis, quarum &
noster auctor meminit, itidem eiusmodi laminae squa-
mae supernectebantur; quod IVST. LIPSIVS loco ex-
citato ex VIRGILIO comprobat.

CAP. VII.

DE CRISTA.

DE galea supra fuit actum, capitis tegumento. Ei plerumque crista imponebatur, vel ornatus, vel terroris causa. Erat autem vel plumea, ut apud VIRGILIVM *lib. X. Aeneid. v. 187.* & apud SILIVM *Italicum lib. II. v. 398.* vel equina: conf. VIRGILIVM *lib. VII. Aeneid. v. 785. lib. X. v. 869.*

SECT. IV.

DE SIGNIS MILITARIBVS. g)

CAP. I.

DE AQVILA.

PRÆCIPVVM, quod integræ legionis erat, fuit aquila argentea, hastæ præfixa, alas expandens, inter-

g) Ante aquilæ, totius legionis signi, vsus, manipulo scæni, loco vexilli, utebantur Romani, vt AVRELIVS VICTOR *de orig. gent. Rom. cap. XXII.* docet. Postea hasta sumebatur, in cuius extrema parte ligneolum transuersum adfixum erat, huicque parui clypei, siue tabulae adnectebantur, quæ deorum, imperatorum aliorumque illustrium virorum imagines referebant. Singuli manipuli vnum eiusmodi habebant signum, cui duo vexillarii præfuerunt; quando vero VEGETIVS scribit *lib. II. cap. 23: antiqui cohortes in centurias diuiserunt, & singulis centuriis singula vexilla constituerunt;* obseruandum est, eius æuo manipulos veteres, quorum duo in vna centuria erant, non amplius in vsu fuisse, sed eorum loco centurias inductas esse. Adseruabantur Romæ in ærario, ex quo a quæstoribus in campum Martium,

Cellar. Antiquit.

S

tium,

interdum fulminis telum gerens, vti ex nummis licet conspiciere. CICERO *orat. I. Catil.* mentionem facit, & VELLEIVS in clade Variana. Qui gerebat, *aquilifer* dictus apud CÆSAREM *bell. Gallic. lib. IV. cap. 25. bell. civil. lib. III. cap. 64.*

CAP. II.

DE VEXILLO. h)

VEXILLVM proprie velum signi erat, & *νοῦτ ἐξοχὴν* illud, quod penes imperatorem erat; nec nisi futuræ pugnae signum proponebatur: vide CÆSAREM *lib. I. de bell. Gall. cap. 20. Vexillum*, inquit, *proponendum, quod erat insigne, quum ad arma concurrere oporteret.* Generatim velum erat signi

CO-

illum, vbi legionum delectus habebatur, deferbantur. In summa veneratione eiusmodi signa apud veteres posita fuerunt, ita vt ea non solum pro diis colerent: sed etiam inungerent & floribus quibuscunque ornarent. In castris ad quamque centuriam & cohortem disposita esse videntur, quamuis de loco eorum non conueniant, qui de argumento hoc scripserunt. In castris ad terram defigi, & vbi se mouebat exercitus, rursus extrahi solebant, quæ si sponte sequerentur & facile euelli possent, pro bono putabatur augurio. Signa eiusmodi maximi erant ponderis, ita, vt iis portandis robustissimus miles vix sufficeret, vt ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Sueton. p. 126.* obseruat. Conf. WOLFG. LAZIVM *lib. VII. de republ. Roman. IVST. LIPSIUM lib. IV. de re milit. dial. 3. seq.* CLAVDIUM DAUSQVEIVM *not. ad Silium Ital. p. 248. & 291.* & MICH. ANG. CAUSSEVM *DE LA CHAVSSE de signis militar. tom. X. thes. ant. Rom. Grauii p. 1528.*

h) Scriptores de vexillis veterum recitat IO. ALB. FABRICIVS *bibliogr. antiqu. p. 555.*

cohortalis, cui nomen imperatoris inscriptum erat: vid. SVETONIVM *vit. Vespas. cap. VI.* Erant etiam, quæ *cantabra* i) dicebantur, de quo ad MINVCIVM *Felicem cap. XXIX.* diximus.

CAP. III.

DE LABARO.

LABARVM k) quoque eius generis fuit, præsertim posteriori æuo. Vnde a christianis scriptoribus celebratum, quod imperatori præferebatur. PRVDENTIVS *aduers. Symmach. lib. I. v. 487:*
Christus purpureum gemmanti textus in auro signabat labarum.

CAP. IV.

DE CLASSICO ET TVBA.

CLASSICVM dictum ISIDORO *Hist. lib. XVIII. cap. 4.* quasi *calassicum* a conuocando, siue excitando, quod *καλέειν* est. Describit autem cornua, conuocandi causa facta. *Tuba* ænea erat & in lon-

S 2

gum

i) Eorum mentionem etiam facit TERTVLLIANVS *apologet. cap. XVI. lib. I. ad nation. cap. XII. & lex II. cod. Theodos. de collegiariis.* Vexillum a cantabro, vt genus a specie, differebat. In cantabro enim, siue picto velo, nomen aut carmen inscriptum erat; quod vero in vexillis non inueniebatur. Hac ratione omnia cantabra erant vexilla; minus autem omnia vexilla fuerunt cantabra: conf. ADR. TVRNEBVS *lib. XV. aduersar. cap. 16. & STEWECHIVS not. ad Vegetium lib. III. cap. 17.*

k) Lege IO. ALB. FABRICIVM *bibliograph. antiquar. p. 555.*

gum directa. *Cornua* olim ex bubulo erant, unde nomen hæsit: postea ad similitudinem ex ære curvato facta. OVIDIUS *metamorph. lib. I. v. 98*:

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Lituus a figura *litui auguralis* dictus. FESTO genus erat buccinæ incurvæ. Memorat HORATIVUS *lib. II. od. I.* & SENECA *Thyest. v. 576*:

Iam filet stridor litui strépentis.

Buccina, vel *bucina* canebatur in castris, ad vigilias diurnas nocturnasque definiendas. Vid. SILIVM *lib. VII. v. 154.* & quæ nos ibi; adde *disp. nostr. de vigiliis veterum.*

SECT. V.

DE MACHINIS BELLICIS. 1)

CAP. I.

DE ARIETE.

MACHINÆ sunt tormenta, quibus in oppugnationibus urbium utebantur. m) Tales erant

1) De machinis bellicis, præter FELICEM OSIVM, PETRVM RAMVM aliosque, præ ceteris videndus est IVST. LIPSIVS *libris V. poliorceticon, siue de machinis, tormentis & telis, qui tom. III. operum p. 550. exstant.*

m) Ne iusto longior videar, reliquas machinas bellicas, aliaque instrumenta, quibus Romani in bello & in oppugnatione ciuitatum vti sunt, tantum recensere, mecum constitui. In hanc classem cadunt:

1) *Crates*, quæ textu vimineo efficiebantur, & in subita oppugnatione in consuetudine præcipue erant. Vfus

erant aries, ballista, catapulta, helepolis, turris rotata & vinea. Aries fuit trabs longa, ferro gran-

S 3

di

Vfus earum triplex fuit. Iis enim non solum tegebant corpus, fossasque explebant; sed etiam eas, lapidibus immittis, in hostium, scalarum ope ascendentium, capita deuolvebant: conf. HIRTIUS *de bello Alex. cap. XVIII.* CÆSAR *de bello Gallic. lib. VII. cap. 81.* & VEGETIUS *lib. IV. cap. 6.*

II) *Scalæ murales*, quibus in ascendendis urbium muris utebantur. Plurima earum pars erat lignea, & ex his nonnullæ complicari ac componi potuerunt. Præterea & coriacea, reticulata ac stuppea apud veteres Romanos haud incognita fuerunt: conf. STEWICHIVS *not. ad Vegetium lib. IV. cap. 21.* IO. POTTERVS *archæol. Græc. lib. III. cap. 10.* & ANTON. THYSIVS *de oppugn. urb. p. 158.*

III) *Sambucæ* scalarum fuerunt genus, quarum ope commode ex nauibus ad muros venire eosque ascendere potuerunt. Fulse sambucarum harum rationem descripsit POLYBIUS *lib. VIII. cap. 5.*

IV) *Brachium*, valli genus, quod cespitibus struebatur, & cui pinnae addebantur, cuius rei HIRTIUM *de bell. Hispan. cap. VI.* LIVIUM *lib. XXXVIII. cap. 5.* & LVCANVM *lib. III. v. 368.* testes habemus.

V) *Cerui*, qui trunci ramosi erant, a cornuum, quam habebant, forma sic dicti. Utebantur illis veteres ad terram in vallis struendis coercendam: ad iter hosti præcludendum & impediendum: ad aggerem muniendum, quum trunci isti in exteriori vallo emerent & inter loricam ligneam & aggerem ipsum inferti essent: conf. RATBOD. HERM. SCHELIVS *tom. X. thes. ant. Rom. Græc. p. 1121.* & IVST. LIPSIVS *lib. II. poliorc. dial. 2. p. 526.*

VI) *Styli cæci*, quos nostra lingua *Fusangeln* adpellamus. Eorum a CÆSARE *lib. VII. de bello Gallico cap.*

di præfixa, quod olim figuram capitis arietini habebat, vnde etiam nomen; postea simpliciter tantum

cap. 73. & HIRTIO *bell. African. cap. XXI.* mentio facta est:

VII) *Aggeres.* Fuerunt isti alta militaria sepimenta, ex arboribus, virgultis, terra, cespite aliaque materia composita, quæ muris hostium admouebantur, vt milites e propinquo contra illos pugnare, turres his imponere, & tormenta versus urbem eo aptius dirigere possent. Consulas ANTON. THYSIVM *de oppugnat. urb. p. 169.* & RATB. HERM. SCHELIVM *tom. X. thes. ant. Rom. Grauii p. 1123.*

VIII) *Turres,* quæ ædificia bellica ex trabibus ac tabulis exstructa & corio crudi firmata muribusque ipsis hostilibus longiora & super rotas ea de causa posita fuerunt, vt vrbi faciliori negotio admoeri possent. De earum structura hæc obseruat VEGETIVS *lib. IV. cap. 17: Præsens autem periculum ciuitatis est, si ad murum fuerit turris admota. Plures accipit scalas & diuerso genere conatur irrumpere. Nam in inferioribus habet arietem, cuius impetu destruit muros; circa mediam vero partem accipit pontem, factum de duabus trabibus, septumque de vimine, quem subito prolatum inter turrum murumque constituunt, & per eum egredientes de machina bellatores in ciuitatem transeunt & occupant muros. In superioribus autem turris illius partibus contati & sagittarii collocantur, qui defensores urbis ex alto contis missilibus saxisque prosteruunt: adde HIRTIVM *de bello Alexandr. cap. I. CÆSAREM de bello Gall. lib. II. cap. 30. LIVIVM lib. XXI. cap. II. AMMIANVM MARCELLINVM lib. XX. cap. II. aliosque.**

IX) *Pontes,* quorum varia apud veteres fuerunt genera. Vbi enim subito flumen traiciendum erat, pontes partim ex iunctis inter se ratibus: partim ex doliis, siue cupis: partim ex vtribus, stramento repletis, com-

tum acutum fuit. Hoc a militibus cum impetu
 agitato muros perforabant: IOSEPHVS de bell.
 iud. lib. III. cap. 9. S 4 CAP.

ponebantur; vt ex CÆSARE de bello Gallic. lib. I. cap.
 12. HERODIANO lib. VIII. cap. 4. & 8. videmus.
 Inprimis de posteriori pontium genere erudite com-
 mentatus est CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS diff.
 de colleg. vitriculariorum §. XV. seq. p. 43. eius mi-
 scell. polit. humanit.

X) *Terebra* arietis genus fuit, ita facta, vt in extre-
 mitate gladii, siue mucronis speciem haberet, & in mu-
 ris foramina efficeret. Eius figuram exhibet IVST.
 LIPSIVS libro memorato p. 558.

XI) *Scorpiones*, qui a catapultis ita differre videntur,
 vt ex illis maiores, ex his vero minores emissæ fuerint
 sagittæ. Mentio huius tormenti militaris fit apud LI-
 VIVM lib. XXVI. cap. 47. VEGETIVM lib. IV. cap.
 22. & HIRTIVM de bello Afric. cap. XXXI.

XII) *Iacula*, quorum duo fuerunt genera. Alia erant
 ex ligno solum confecta, ad quorum classem ardentes
 lignæ hastæ, contra hostes projectæ, & *faces* adpella-
 tæ: item *sudes*, siue gladii lignei præusti, variaque præ-
 pilata missilia pertinent. Alia ferrea fuerunt, ad quo-
 rum genus hastæ, lanceæ, veruta, gæsa, & alia instru-
 menta referri debent; quæ tamen armis potius, quam
 machinis bellicis adnumeranda sunt. Eadem est ratio
 fundorum, armentorum, arcuum cet. de quibus pro-
 lixe IVST. LIPSIVS sapius laudatis *poliorcet. libris* agit.

XIII) *Currus falcatus*, qui a LVCRETIO *currus fal-*
cifer, a SILIO Itálico *couinus falcatus*, & a LIVIO *qua-*
driga falcata dicitur. Describit eius formam CVRTIVS
 lib. IV. cap. 9. §. 5. quando ita loquitur: & *inter radi-*
os rotarum plura spicula eminebant in aduersum; aliæ de-
inde falces summis rotarum orbibus, & aliæ in terram de-
missæ, quidquid obuium concitatis equis fuisset, amputa-
turæ; LIVIVS vero lib. XXXVII. cap. 41. de hoc in-
 stru-

DE BALLISTA.

BALLISTA machina erat, qua trabes ferratæ, ut tela arcu, excutiebantur: *catapulta* iaciebat mo-

strumento sequentia prodidit: *falcatae quadrigæ in hunc maxime modum erant. Cuspides, circa temonem ab iugo decem cubita exstantes, velut cornua habebant, quibus quicquid obuium daretur, transfigerent, & in extremis iugis binæ circa eminebant falces; altera æquata iugo; altera in terram devexa: illa, ut quicquid a latere obiiceretur, abscinderet; hæc ut prolapsos subeuntesque contingeret.* RADERVS, SCHEFFERSVS, STEWECHIVS aliique multam in eo posuerunt operam, ut rite formam horum curruum describerent atque exhiberent; minus vero inter se conveniunt, quia non rite intellexerunt verba CURTII, in quibus maiorem difficultatem inesse, sibi persuadent, quam re ipsa adest. Curtius spiculorum & falcium in curribus mentionem facit, & spicula inter radios emiuisse, falces vero duplices fuisse, tradit, dum alias summis rotarum orbibus hæsisse, alias autem in terram ita demissas esse scribit, ut quodcumque obuiam concitatis equis venerit, amputauerint. Ex vocabulo illius *obuium* merito colligitur, posterius falcium genus ea adscidisse, quæ in ipsa via ideoque sub ipso curru fuerunt, hocque & innuit LIVIVS, quando loco memorato scribit: *cuspides, circa temonem ab iugo decem cubita exstantes, velut cornua habebant.* Quæ ubi obseruantur, Curtii verba satis luculenta esse arbitror. Nam aperte significat:

I) Quod falces fuerint in summis rotarum orbibus; siue in ea rotæ totius parte, quæ *cauthus* adpellatur. Hæ falces versus terram deflexæ fuisse videntur, ut omne, quod iuxta vtraque currus latera erat, eo facilius

molares lapides ; sicuti funda minores. Sic CÆ-
SAR distinguit *de bell. ciu. lib. II. cap. 2. num. 2. &*

S 5

cap.

lius absunderent & dirimerent. Atque eo spectant ver-
ba: *aliæ deinde falces summis rotarum orbibus hærebant:*

2) Quod falces in axi ipsa fuerint ; siue in ea trabe ,
circa quam tota rota vertitur. In medio totius axis , ad-
eoque sub ipso curru , falces fuisse , sane non solum ex
Curtio patet , qui falces has quæuis obuia abscondisse re-
fert ; sed etiam ex ipsa re colligi potest. Secundum Li-
uium enim in terram demissæ erant ; quodsi vero in
axium extremitatibus fuissent , nullum plane habuissent
usum , nisi ipsis rotis longiores extitissent ; hoc vero
rotarum cursum impediuisset. Ad hæc , si etiam non
longiores fuissent , facile tamen comprehendi potest , in
ipsis falcibus canthi has axium falces impingere neces-
sario debuisse ; quod vero itidem currum retardasset.
In terram demissæ dicuntur hæ falces , quoniam sub ipso
curru in axibus ita oblique adfixæ erant , vt earum ex-
tremitates terram fere tangerent. Indicat quoque Cur-
tius :

3) Quod spicula his falcibus Romani addiderint.
Quoniam autem CURTIUS refert , ea inter rotarum ra-
dios eminuisse , id de modiolis , in quibus rotarum ra-
dii defixi erant , intelligendum esse credo. In extrema
enim modiolorum parte ita adfixa fuisse videntur , vt
recta a duobus curru lateribus prominere : cum ipsa
rota ac radiis circumagerentur , & quicquid a latere
erat , grauiter vulnerarent. IAC. PERIZONIUS *in Cur-
tio vindicato* p. 164. seq. itidem currus falcatos descripsit ,
quamuis formam horum curruum non plane adcurate
exhibuisse videatur , præsertim in eo falcium genere ,
quæ sub ipso curru fuerunt. De iis , quæ STEW-
ECHIVS , SCHEFFERVS , HVGO , THYSIVS , PITI-
SCVS aliique de hoc argumento edisseruerunt , consul-
to taceo.

XIV)

cap. 9. num. 3. Alius loquendi vsus erat antiquiorum, ballistis lapides, & trabes catapultis tribuentium. Vid. CICERONEM *Tuscul. lib. II. cap. 24.* & PLAVTVM *capt. act. IV. scen. 2. v. 16.* quos etiam post Cæsarem Tacitus, Seneca aliique imitantur.

CAP. III.

DE HELEPOLI.

HELEPOLIS turris militaris genus fuit, posteriori ævo ad expugnandas vrbes inuentum, cuius structuram descripsit AMMIANVS *in Iuliani expeditione lib. XXIII. cap. 5.*

CAP. IV.

DE TVRRE ROTATA.

TVRRES rotata ex ligneis contabulationibus constabat, vt altitudinem muri æquaret vel superaret; & rotis imponebatur, vt facilius ad muros admoueri posset. Si quid proximum accessum

XIV) Tollenon itidem instrumentum bellicum fuit. De eius forma sic scribit VEGETIVS *lib. IV. cap. 21:* *Tollenon dicitur, quoties una trabes in terram præalte defigitur, cui in summo vertice alia transuersa trabes longior dimensa medietate connectitur, eo libramento, vt, si unum caput depresseris, aliud erigatur. In vno ergo capite cratibus, siue tabulatis contextitur machina, in qua pauci collocantur armati. Tunc per funes vno attracto depressoque, alio capite eleuati imponuntur in murum: adde STEWECHEVM not. ad hunc locum, & IVST. LIPSIVM poliorcet. p. 483.*

sum impediret, ponticulus superiori parti adiunctus in murum demittebatur. Vid. *LIVIVM lib. XXI. cap. II.* & adde *CVRTIVM lib. IV. cap. 6. num. 9.* & *lib. VIII. cap. 10. num. 32.*

CAP. V.

DE MVSCVLO.

MVSCVLVS & vinea erant machinæ, quibus milites urbem oppugnantes tegebantur. *CÆSAR de bell. civil. lib. II. cap. 10. cap. 2. num. 1.* & *de bell. gallic. lib. VII. cap. 27. num. 2.* pluteus autem afferes ad milites a latere, vel fronte etiam defendendos, quamquam & integræ machinæ sic dictæ leguntur. Vid. *CÆSAREM de bell. gallic. lib. VII. cap. 25. num. 1.* & *de bell. civil. lib. I. cap. 25. num. 10. lib. II. cap. 9. num. 5.*

CAP. VI.

DE TESTVDINE.

TESTVDO sequitur, hoc est, continuata scutorum inter se supra militum capita iunctorum series: qua tecti succedere ad murum, aut inuadere hostem, aut repellere inuadentem tuto poterant. *LIVIVS lib. XLIV. cap. 9. lib. XXXI. cap. 39.* *CÆSAR de bell. gall. lib. II. cap. 6. num. 2.* *CVRTIVS lib. V. cap. 3. num. 9. 21. 23.* *FLORVS lib. III. cap. 10. num. 13.* *DIO lib. XLIX. p. 409.* Inferiores autem scriptores *testudinum* nomine tamquam communi machinarum regentium vocabulo vtuntur, vt vineas etiam & alia huiusmodi comprehendat. De his singulis præclare agit & ad-

adcurate LIPSIVS in *poliorceticis* & de *militia romana*.

CAP. VII.

DE CORONA.

CORONA superest, & circumuallatio, quibus vrbes olim capiebantur. Corona erant milites circa urbem constituti, ita, vt vir quasi virum tangeret: vt nihil ingredi, nihil egredi inuitis oppugnatoribus posset. Quod vero eruptiones timendæ erant, coronam non simplicem, sed duplicem, vt vna subsidio alteri esset; sæpius etiam triplicem faciebant. Id dicunt historici, urbem corona capi, quod plerumque fiebat in tumultuaria & festinata oppugnatione. Exempla vide apud *CÆSAREM de bell. gall. lib. VII. cap. 72. num. 23.* & *LIVIVM lib. XLIII. cap. 18.* Circumuallatione vallum circa urbem erigebatur, quod distinctum multis turribus & castellis erat, defensionis causa: *CÆSAR de bell. gall. lib. VII. cap. II. num. I.* & *CICERO lib. XV. ep. 4. num. 21.*

SECT. VI.

DE MILITIA NAVALI.

CAP. I.

DE ROSTRIS.

NAVALIS militia vim maximam in rostris habebat, quæ ex ferro constabant. Olim hæc adunca erant, instar rostri auium, vnde nomen hæsit: postea directa & plerumque trifulca, instar tri-

tridentis. Hoc ferrum magni ponderis præfixum
 proræ erat ex parte inferiore : vnde , si navis re-
 migio agitaretur in hostilem nauem , perforari po-
 terat & deprimi. CÆSAR *de bell. gall. lib. III. cap.*
13. num. 8. & de bell. ciuil. lib. III. cap. 101. num.
2. HIRTIUS de bell. Alexandr. cap. 44. num. 4.

CAP. II.

DE NAVIBVS.

§. I.

NAVIBVS vtebantur veteres minoribus agilitatis
 caussa ; sed quod magnitudini deerat , multi-
 tudine supplebatur. Sic legimus , bello Punico pri-
 mo vtramque rempublicam , Romanam & Cartha-
 ginensem , classem habuisse : singulas nauium tre-
 centarum , quadringentarum & plurium : EUTRO-
 PIUS *lib. II. cap. 12. num. 1. 4. 6.*

§. II.

Bellicis his , siue rostratis nauibus addebantur
 aliæ onerariæ ad comœatum bellicumque adpa-
 ratum aduehendum : LIVIUS *lib. XXXII. cap. 18.*
 & PLVTARCHVS *in Pompeio p. 624.*

§. III.

Liburnæ naues ex leuiorum biremium genere
 erant : a Liburnis , populo Illyriæ , qui inuenerat ,
 ita dictæ. APPIAN. *Alexandr. de bell. ciuil. lib. II.*
p. 452. EUTROPIUS lib. II. cap. 10. num. 9. Re-
 mis vero vtebantur veteres plerumque , quoniam
 his opus est in mari mediterraneo , in quo malacia
 sæpe , seu ventorum quies suboritur. n) §. IV.

n) Antiquitates , quæ ad rem veterum nauticam perti-
 nent ,

§. IV.

Ceterum navis, quæ ducem ferebat, dicta fuit *prætoria*, quemadmodum milites nauales, distincti a remigibus, vocabantur *classarii*. LIVIUS lib. XXXVII. cap. 29. & TACITVS *annal. lib. XV. cap. 51. num. 1.*

SECT. VII.

DE PRÆMIIS MILITIÆ
ROMANÆ.

CAP. I.

DE CORONIS.

§. I.

PRÆMIA erant vel militum, vel summorum ducum. Militum vt plurimum coronæ erant: mino-

nent, illustrarunt: IO. SCHEFFERVS lib. IV. de milit. nauali, qui Vpsal. MDCLIV. prodierunt: LIL. GREG. GYRALDVS libr. de nauigiis, tom. I. operum p. 571. STEWECHIVS not. ad vltimum Vegetii librum. His addendi sunt scriptores, qui in thesauris antiquitatum Græcarum Gronouii & Romanarum Græuii exstant; STEPHANVS videlicet DOLETVS libro de re nauali: CÆLIVS CALCAGNIVS comment. de re nautica: IOS. LAURENTIVS diff. de varietate nauium: MARC. MEIBOMIVS libr. de fabrica triremium: CONSTANTINVS OPELIVS, qui ipse forsan SCHEFFERVS est, epist. de fabrica triremium, Meibomio opposita: ISAAC. VOSSIUS diff. de triremium & Liburnicarum constructione. Plures scriptores recenset IO. ALB. FABRICIVS bibliogr. antiquar. p. 549.

minorum ducum etiam *coronæ*, o) item *hasta pura*: summorum ducum *triumphus*; aut signa triumphalia: etiam supplicationes.

§. II.

Coronarum genera describit GELLIVS *lib. V. cap. 6.* In iis primum erat *corona civica*, maximæ omnium dignitatis, ex fronde querna facta, quæ dabatur *ob ciuem feritatum*, id est, quando quis romanum ciuem, in acie trucidationi, aut captiuitati proximum, seruasser. Vid. PLINIVM *lib. XVI. cap. 4.* Iulius Cæsar tali corona donatus est adolescens, apud SVETONIVM *cap. II.* Etiam imperatoribus offerebatur a ciuibus, quando illi rempublicam seruassent, vt est apud CAPITOLINVM *in vit. Marci cap. XII.*

§. III.

Secundum erat *obsidionalis corona*, quæ dabatur ei, qui obsidione urbem liberauerat, vel castra.

§. IV.

Tertium, *corona muralis* dabatur ei, qui primus

o) De variis his coronarum generibus præ ceteris digni sunt, qui legantur: CAROLVS PASCHALIVS, cuius opus *de coronis*, Paris. MDCX. & Lugd. Batav. MDCLXXI. prodit: ANSELMVS BANDVRVS *ad antiqu. Constantin. p. 477.* IOACH. IO. MADERVS *libr. de coronis sacris pariter & profanis*: IOANNES CIAMPINI *tom. I. vet. monument. cap. XIV.* GAILLARDVS GVIRANVS *tom. I. thes. ant. Rom. Sallengriani p. 1021.* FORESTO FORESTI *in trattato delle gentilizie insegne, volgarmente dette arme delle saniglie*, Brixia, ante aliquot annos edito, vbi pari modo de coronis triumphalibus, ovalibus & ciuicis Romanorum exponit.

in murum hostilem adscendisset, apud LIVIVM *lib. X. cap. 46. lib. XXVI. cap. 48.*

§. V.

Quartum *corona castrensis*, quæ etiam *vallariv* dicebatur, data ei fuit, qui primus hostium castra pugnans introiit. LIVIVS *lib. XXX. cap. 28.* exemplum habet.

§. VI.

Quintum *corona naualis*, quæ data fuit ei, qui nauali prælio primus in nauem hostium transilierat. Vocata etiam est *corona rostrata* a rostratis nauibus apud PLINIVM *lib. XVI. cap. 4.* Huius generis coronam Agrippa meruit bello Siculo, Pompeio victo, vt apud DIONEM est *lib. XLIX. p. 400.*

CAP. II.

DE TRIUMPHO.

§. I.

TRIUMPHVS summus honor erat, qui Romanis poterat contingere. Re enim bello feliciter gesta, & multis millibus hostium cæsis, p) ita, vt pauci in exercitu romano desiderarentur, victori triumphus a senatu q) decretus est.

§. II.

p) Quodsi dux augustum hoc triumphû præmium auferre volebat, is vltra quinque millia hostium legitimorum in vna acie, suis auspiciis ita occidere debuit, vt ad imperium Romanum hac victoria insignis redierit fructus, testibus HORATIO *lib. IV. od. 14. v. 33.* & VALERIO MAXIMO *lib. II. cap. 8. §. I.*

q) Triumphum etiam legatis concessum esse ex sententia eius,

§. II.

Ingens pompa: senatus egrediebatur vrbe, ali- que proceres, vt victorem introducerent, qui curru sublimis vehebatur, a quatuor albis equis tracto, laureatus, purpuratus, in capitolium per forum & viam sacram adscendebat. Præibant currum nobi- les captiui, catenis vincti: præferebantur fercula varii generis, quæ pretiosissimam prædam conti- tinebant, & pictas imagines vrbium captarum, ducum cæforum, aliorumque memorabilium. Ex- ercitus sequebatur lætabundus & licentius etiam iocabundus. r) Peractis in capitolio sacris, epu- lum

eius, qui prouinciam tenuit, D I O C A S S I V S obseruat, p. 382. A senatu per ordinem decernebatur trium- phus, quamuis & hoc, inuito eo, ab ipso populo fa- ctum esse, ex D I O N Y S I O *Halicarnasseo lib. IX. cap. 50.* discamus.

r) Die a senatu præfinito, imperator, veste triumpha- li & laurea ornatus, in curru pretioso, rotundo & ex ebore facto, per urbem ad Capitolium ducebatur. Currum trahebant per ordinem equi albi; nonnun- quam autem cerui, leones, tigrides, aut elephantia: conf. E Z E C H. S P A N H E M I V S *de usu & præst. numism.* tom. II. p. 216. In tanta pompa primi incedebant licto- res & magistratus, quos tubicines, victimæ, & capta- rum vrbium, montium ac fluuiorum simulacra seque- bantur. Post hoc conspectui offerebantur aurum, ar- gentum, æs rude, tabulæ, signa aurea, argentea, ærea & eburnea, gemmæ, ac varii generis vestes pretiosæ; deinde vero coronæ, militibus Romanis virtutis causa assignatæ: gentium victarum arma: pecunia signata; vasa argentea & aurea: elephantia gentium victarum: currus, aliaque ducum captiuorum ornamenta: ipsi re-
Cellar. Antiquit. T ges

lum publicum dabatur, per omnem ciuitatem, senatui & proceribus in capitolio.

§. III.

De curru s) & lauro t) res nota est, adeo, vt etiam hæ simplices voces interdum significant triumphum. u) FLORVS *lib. IV. cap. 12: digna res lauris, digna curru senatui visa.* De ferculis ibidem agitur in triumpho Cæsaris. De equis, de captiuis ante

ges captiuum cum tota familia: reliquæ gentes bello captæ: lictores laureati, atque is, qui victis insultabat. Tum currus cum imperatore triumphante sequebatur, ita, vt non solum ante, sed & post eum tubicines ac alii cum pretiosis suffimentis incederent. Denique propinqui eius: ministri & scutiferi, legati, tribuni, alique exercitus duces: ipsi exercitus Romani, in legiones, cohortes, centurias & manipulos distributi, conspiciebantur. Imagines triumphii huius Romanorum imperatorum exhibent: PETR. IOS. CANTELIUS *de republ. Rom. p. 219.* SAM. FITISCVS *not. ad Suetonium vit. Cæs. cap. LXXX. p. 136.* LAVR. BEGERVS *not. ad Florum lib. II. cap. 12. ac reliqui.*

s) De curru triumphali vide HENR. NORISIVM *diff. de nummo Dioclet. cap. V. & VI. tom. I. thes. Sallengriani, p. 413. seq. & SIGEB. HAVERCAMPIVM not. ad Terrulliani apologet. cap. XXXIII. p. 288.*

t) Triumphanti corona propter nimium pondus sustinebatur a seruo publico; non autem a carnifice, vt ISIDORVS habet. Seruus hic publicus simul attendere iubebat imperatorem ad vltimi supplicii instrumenta, curru adpensa, quæ tintinnabulum & flagellum erant: conf. ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Sueton. p. 281. ed. Græuii.*

u) Triumphii ius longe maius atque illustrius fuisse, quam laureæ, satis monstrat laudatus CASAVBONVS *not. ad eundem scriptorem p. 721.*

ante currum OVIDIVS lib. I. de arte amand. v. 214.
canit :

Quatuor in niueis aureus ibis equis :

Ibunt ante duces, onerati colla catenis.

§. IV.

Adclamatio erat, x) IO TRIUMPHE! OVIDI-
VS lib. IV. trist. eleg. 2:

- - - ioque

Miles io, magna voce, triumphe canit.

Singula videtur CICERO complexus esse in Pison.
cap. XXV: *Quid tandem habet iste currus? quid vin-*
cti ante currum duces? quid simulacra oppidorum?
quid aurum? quid argentum? quid legati in equis
& tribuni? quid tota illa pompa? inania sunt ista:
mihî crede, delectamenta pene puerorum. z)

T 2

CAP.

x) De hoc adclamandi modo fuscè differunt: FRANC. BER-
NARDIN. FERRARIUS de vet. adclamar. & plausis
lib. IV. cap. 9. lib. VI. cap. 9. seq. EZ. SPANHEMIVS
de usu & præst. numism. tom. II. p. 223.

z) De triumphis Romanorum præter MARLIANVM,
SIGONIVM, PIGHIVM aliosque videndi sunt:
ONVPHR. PANVINIVS comm. de triumpho, qui cum
notis IOACH. IO. MADERI tom. IX. thes. ant. Rom.
Græuii p. 1336. exstat: FRANC. MODIVS lib. II. de
triumphis, ludis & spectaculis veterum: IO. NICOLAE
libr. de triumphis: HVB. GOLTZIVS fast. magistr. &
triumph. Rom. IO. SERVILIUS de admirandis anti-
quor. oper. lib. III. cap. LX. seq. MARTINVS DE GVI-
CHARDO noct. Granzouian. de triumphis antiquis:
EZECH. SPANHEMIVS de usu & præst. numism. tom.
II. p. 210. SAGITTARII, TRABITII, RVPERTI,
SCHIEFERDECKERI, aliorumque singulares de hoc
argumento dissertationes tacitus prætereo.

De

DE OVATIONE.

§. I.

HÆC de triumpho maiori. Erat etiam triumphus minor, quem *ouationem* dixerunt, a verbo *ouare*, quod est, *minorem triumphum agere*, quando videlicet minus illustris victoria fuerat. In eo differentia ut plurimum erat, a) quod triumphantes curru inuehebantur in urbem: ouantes equo, aut pedibus; ut plurimum vero pedibus ibant. Exempla sunt apud VELLEIVM *lib. II. cap. 96: Huius victoriae compos Nero, forsitan Tiberius, ouans triumphauit; & cap. 122: Quis dubitare potest, quin ex Armenia recepta ordinatisque rebus orientis, ouans triumphare debuerit? & Vindellicorum Rhetorumque victor curru urbem ingredi?*

§. II.

De spoliis bellicis, tropæis, arcubus triumphalibus, columnis, obeliscis cet. commentati sunt: IUL. CÆS. BULENGERVS *libr. de triumphis, spoliis bellicis, tropæis, arcubus triumphalibus*: FRANC. MODIVS *libr. excitato cap. XXVII.* FORTVNAT. SCACCHVS *in myrothecio III. cap. XXIII. p. 890.* NIC. BERGIERVS *de publ. viis imper. lib. II. cap. 40.* HENR. NORISIVS *cenotaph. Pisan. diff. III. p. 413.* IO. BAPT. CASALIVS *de urb. ac imper. Rom. splendor. part. II. cap. I.*

a) Discrimen, quod inter ouationem & triumphum fuit, fusius ostendunt supra memorati de triumphis scriptores, inter quos FRANC. MODIVS in priinis commendandus est. Sæpe vocem *ouationis* de solempni triumpho usurpatam fuisse, GEORG. HENR. VRSINVS *obseruat. philol. cap. IX.* docet.

§. II.

Sic, quo minus nobilis victoria bello seruili erat, Perpernae apud FLORVM *lib. III. cap. 19.* minor triumphus tributus fuit: *de seruis ouatione contentus fuit, ne dignitatem triumphu seruili inscriptione violaret.* Apud LIVIVM quoque exempla occurrunt *lib. XXXI. cap. 20. & lib. XLI. cap. ult.* Vtrobique formula: *ut ouans urbem iniret.* Et *lib. XXXIV. cap. 10: ouans urbem est ingressus.*

§. III.

Quando vero iis quoque, qui sibi dignissimi triumpho videbantur, per inuidiam, ut fit, interdum negatus fuit triumphus, ipsi, contumeliam non ferentes, in monte Albano triumpharunt citra senatus auctoritatem. Exempla eius rei sunt apud LIVIVM *lib. XXXIII. cap. 23: Q. Minucius quum aduersum omnem senatum videret, in monte Albano se triumphaturum dixit; & lib. XLII. c. 21: Caius Ciceronius, expositis, quas in Corsica res gessisset, postulatoque frustra triumpho in monte Albano, quod iam in morem venerat, ut sine publica auctoritate fieret, triumphauit.*

§. IV.

Quum caesares rerum potirentur, sibi solis exitium triumphu honorem rati conuenire, ducibus suis post victoriam tantum insignia, vel ornamenta triumphalia conferebant, qui honor postea inter priuatos fuit maximus. SVETONIVS *vit. August. cap. 38: nec parciore in bellica virtute honoranda, supra triginta ducibus iustos triumphos*

Et aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curauit. Adde TACITVM in Agric. cap. 40. & lib. I. annal. cap. 72.

§. V.

Cum triumpho conuenientiam etiam habebat depositio lauri in gremio Iouis, qua quasi gratiæ actæ sunt Ioui pro victoria concessa. Ritus describitur apud PLINIVM paneg. cap. VIII. p. 7: adlata erat ex Pannonia laurca, id agentibus diis, ut inuicti imperatoris exortum victoriæ insigne decoraret. Hanc imperator Nerua in gremio Iouis collocarat: quum repente solito maior et angustior aduocata hominum concione deorumque, te filium sibi, hoc est, unicum auxilium fessis rebus adsumsit. Inde quasi deposito imperio, qua securitate, qua gloria letus, nam quantulum refert, deponas; an partiaris imperium? nisi quod difficilius hoc est, non secus ac presenti tibi innixus, tuis humeris se patriamque sustentans, tua iuuenta, tuo robore inualuit? adde notas nostras & hæc SVETONII verba vit. Domitiani cap. VI: de Cattis Dacisque post varia prælia duplicem triumphum egit. De Sarmatis lauream modo capitolino Ioui retulit.

cuius ciuitatem transcripti erant. Prior in legibus etiam *origo* vocatur & *originalis patria*: vide leg. XXII. digest. ad municipalem, cetera.

§. V.

Ad ea igitur, quæ in legibus dicuntur, recte intelligenda, distingui debent ius ciuitatis romanæ, ius Quiritium, ius Latii, vel Latinorum, & ius italicum, etiam ius municipiorum, coloniarum & præfecturarum. Ius *ciuitatis* iam exposuimus. Sequitur, vt de reliquis etiam agamus, si prius de proletariis & capite censis pauca adiecerimus.

C A P. III.

DE STATV PROLETARIORVM
ET CAPITE CENSORVM.

§. I.

SÆPE fit mentio *proletariorum* & *capite censorum* apud scriptores. Illi erant tenuissimæ pauperrimique in plebe romana; hi vero, qui vel nullo, aut perquam paruo ære censebantur.

§. II.

Vtrique autem fuerunt ciues, iura ciuitatis, vt sunt connubii, testamenti, patriæ potestatis, cetera habentes; sed sine suffragio & sine spe honorum adipiscendorum: vid. GELLIVM lib. XVI. cap. 10.

SECT. II.

DE IVRE QVIRITIVM, LATII
ET ITALICO.

C A P. I.

DE DIFFERENTIA IVRIS QVIRI-
TIVM ET LATII.

C O N T R O V E R S I A est inter eruditos de iure *Qui-
riti*
Cellar. Antiquit. V *riti*